



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

CAPVT VII.

Synopsis.

I. Conquerentibus Clericis de iudiciis Episcoporum subueniebant Principes. In eam rem extat canon Concilij Francofordiensis. Post iudicium Metropolitanum, si partes non consentiant rebus iudicatis, accedere possunt ad Principem, cum relatione Metropolitanum.

II. Prudentia auctorum huius canonis expenditur. Conciliatur hic canon cum Antiocheno Concilio. Imperator adiri non debet ante iudicium Synodi. Cum temperamento, cognitionem quandam extraordinariam Princeps in his negotiis exercebat.

III. Summus Capellanus discutebat res ecclesiasticas in Palatio, ut Comes Palatii res seculares. Ad Regem referebat de iis negotiis que maioris essent momenti. Apocristarius idem cum Capellano. De contentione canonice omnis generis iudicium ferebat. Quem ordinem tenebat in iudiciis ferendis. Intererat omnibus constitutionibus que fiebant in Palatio.

IV. Munus Apocristarii istius gratum fuit Romanis Pontificibus. Ei muneri admoitis Episcopis, gratiam faciebant canonum, ut ab Ecclesiis suis abesse possent. Ea indulgentia assensu Synodi Francofordiensis ad petitionem Regis confirmata. Apocristarii isti similes illis qui morabantur in comitatu Imperatorum Constantinopolitanorum. Archiepiscopi tandem consensus est cum munere Comitum Palatii, quod restituunt petiit Synodus Carisiaca.

V. Temporibus Ludovici Pij, omisso Metropolitanano, damnati Presbyteri reuera Principem adibant. Ea de re queritur Concilium Parisense, & docet hunc abusum ortum habuisse ex cessatione synodorum provincialium. Canones infracti erant, quia omisso Metropolitanano Princeps interpellabatur.

VI. Missas Dominicas Reges mittebant per provincias, qui canonum & legum executioni invigilarent. Regia auctoritate qua corrigenda erant, cum Episcopis corripiebant. In eo negotio Rex Episcopis cooperabatur, ut loquitur Carolus Magnus.

VII. Ludovicus Pius sui sibi commissam Ecclesia & Regni curam. Huius sui ministerij adutores esse Episcopos, in suo ministerio quod eis divina auctoritate impostum est, & Comites in ministerio illis credito, humano mandato. Reges ita erant Monitores, ut contumaces emendarent.

VIII. Missorum Dominicarum dignitas & munus, de Flodoardo, & Capitularibus, Alii a Missis discurrentibus, qui erant ministri tantum. Cum Episcopis prospiciebant canonum executioni, & vulnus impediabant. Appellationes ab abusu post vulnus remedium parant.

IX. Presbyteri vexati ab Episcopis in visitationibus & variis sumptibus, confugerunt ad Carolum Calvum, qui lege lata illis iniuriis contra canones illatis prospexit. Carolus interpretationem canonum sibi vindicavit, & indicit Episcopis executionem secundam interpretationem a se datam. Communitibus decimarum interversionem comminatur.

I. NUNC considerandum restat qua ratione prospiceretur, si de iudiciis Episcoporum moveretur aliqua quaestio. Sanè Principem suas partes interpo-

E e

sunt, haec sequimur. Deinde aliquot exemplis causam suam instruit Zacharias, & probare contendit alienam fuisse ab Ecclesiae disciplina sententiam à Nicolao contra Photium latam. Metrophanes respondet quidem Zachariae, ita tamen ut regulam ab eo positam non evertat; excipit tantum, Nicolaum Papam iudicem electum fuisse à Photio & Ignatio in controversia sedis Constantinopolitanae, atque ideo sententiam iudicis electi nullo modo rejici posse, secundum leges civiles & ecclesiasticas. Tum exemplis in contrarium allatis à Zacharia satisfacit. Ex eo etiam capite Nicolaus I. Romanorum decretorum robur & firmitatem petit, quod synodicas patrum constitutiones inviolabiliter retineant. Ea regula petita est à Concilio Ephesino, quod in relatione ad Theodosium ait sententiam illam, quae à canonibus aliena est, nihil aliud in se continere quam apertam contumeliam: κείνος γὰρ ἡμεῖς ἐαυτοῦ οὐκ ἐχοῦσα πικροτέρως, ἢ δὲ δέχοντο, λοιδορίας ἔδιδεν ἡμῶν πλεόν. Quod videtur haustum à Concilio Nicæni canone sexto, quo decretum illud Metropolitanum & Synodi provincialis firmum esse debere constituitur quod rationabile sit & secundum regulam ecclesiasticam comprobatur.

VI. Illa tamen regula (quae in iis etiam sententiis locum habet quae proferuntur à magistratibus qui vice sacra iudicant) eo sensu accipienda est, si iudicium specialiter contra leges vel senatusconsulta vel constitutionem fuerit prolatum, ut loquitur Modestinus Iurisconsultus. Quod obtinere etiam debet, si expressim & specialiter contra canones & manifesti juris formam iudicatum fuerit; id est, ut loquuntur Magistri, si contra jus constitutionis vel canonis iudicatum fuerit, non autem si contra solum jus litigatoris. Attamen non est quòd aliquis inde colligat liberum fuisse unicuique, qui iudicio reddito premeretur, rei iudicatae auctoritatem contemnere. Solum Principi, & Ecclesiae Gallicanae, nullitatis disceptatio competeat, non ea quidem mente ut rescinderet sententiam latam, cum in omnibus causis apostolicae sedis reverentiam custodirent; sed ut rei iudicatae executionem susponderent, si contra manifesti juris formam aliquid obreptum fuisset. Qua de re ad Romanum Pontificem rescribebant, si tanti esset res controversa ut diligentiam illam exigeret, ut possent ἀπελεῖσθαι ἢ ἀφελείν, quemadmodum loquitur Octava Synodus, de iis quae disceptantur cum Ecclesia Romana.

Vertical marginal notes in Latin script, including references to 'Nicolaus episcopus ad Photium', 'Concilium Nicænum', and 'Concilium Ephesinum'.

fuisse manifestum erit, si cui lubeat Concilij Francofordienſis canonem ſextum expendere, cujus hæc ſunt verba: *Statutum eſt à Domno Rege & ſancta ſynodo ut Epifcopi juſticias faciant in ſuis parochiis. Si non obedierit aliqua perſona Epifcopo ſuo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, monachis, & ceteris Clericis, vel etiam aliis in ejuſ parochia, veniant ad Metropolitanum ſuum, & ille adjuſdicet cauſam ſuam cum ſuffraganeis ſuis. Comites quoque noſtri veniant ad iudicium Epifcoporum. Et ſi aliquid eſt quod Epifcopus Metropolitanus non poſſit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accuſatores cum accuſato, cum literis Metropolitanis, ut ſciamus veritatem rei.* Magna eſt huius Concilij auctoritas, quod è cunctis regni Francorum, Italiae, & Aquitaniae Epifcopis, & Legatis Hadriani Papæ conſtabat. Quare poteſtas quæ Regi reſervatur de Metropolitanorum iudiciis aliqua ex parte decernendi, legitima & canonica omnino cenſenda eſt. Hoc ſeculo à ſententiis Metropolitanis & ſynodi provinciae non appellabatur, ſi de Clericis inferioris gradus, id eſt, Abbatibus, Presbyteris, & ceteris, cauſa verteretur. Enimverò quia contingere poterat ut per injuriam contra regulas à Metropolitanis premerentur, aut per contumaciam rebus iudicatis parere nollent, extraordinaria quadam cognitione Principis huic incommodo proſpiciatur. Decernitur enim, ſi rei, vel actores, iudicio reddito refragentur, ut ambo ſe ſiſtant coram Rege cum literis Metropolitanis, quibus relatio plena rei geſtæ continebitur, ut veritate rei perſpecta, Rex auctoritatem ſuam interponat. De Rege enim accipienda ſunt hæc verba, *ut ſciamus veritatem rei*; quemadmodum id quod antecedit, *Comites quoque noſtri*, ne quis fortè cavilletur, & ad ſynodum referre velit.

II. Planè hîc mirari ſubit ſeculi huius prudentiam & ingenium ad concordiam ſacerdotij & imperij natum. Patres enim iſti diſciplinam canonicam cum jure regio calentiſſimè temperant. Veritum erat canone x i i. Concilij Antiocheni Presbyteris & ceteris Clericis ab Epifcopo damnatis ne moleſti eſſent Imperatori, ſed ad ſynodum converterentur; ſi quis verò neglecta ſynodo Imperatorem adiret, venia indignus eſſet. Rurſus canone xi. ejuſdem Concilij prohibitum erat Epifcopis & Presbyteris ne abſque literis Metropolitanis Principem adirent. Hoc canone Francofordienſi Metropolitanis conſulitur & ſynodis provinciae; ſcilicet ut non antè interpellari poſſit Princeps à Presbyteris quàm ſynodus provinciae cauſæ finiendæ impar fuerit; utque literis Metro-

politani inſtructa partes ad Regem accedant. Ceterum hoc ordine ſervato, liberam damnatis Presbyteris facultatem facit Regem adeundi. Eo autem temperamento cognitio iſta ſine dubio peragenda erat, ut ſi minus canonicè iudicatum foret, ſententiae executio impediretur; monito Epifcopo, ut canonibus ſe accommodaret; ſi verò recta & canonica ſententia prompta fuiſſet, contumaces ad executionem imperio Principis adigerentur. Non enim otioſa eſſe debet cognitio Principis, quin adhibito ſaltem illo temperamento, de quo dixi, conquerentibus Clericis ſatisfaciat. Rurſus tam exacta eſſe non debet ut res ſemel iudicatas iuriſdictione quadam ſuperiori diſcutiat, cum illi jure patrocini tantum hæc diſceptatio extraordinaria competere poſſit.

III. Rebus autem eccleſiaſticis diſcutiendis imminebat ſummus Capellanus, qui in Palatio huic miniſterio præfectus erat, ut docuit Adalardus apud Hincmarum. Refert auctor ille potiores in Palatio fuiſſe duos regios miniſtros, Capellanum, & Comitem Palatii: *E quibus præcipuè duo, id eſt, Apocriſtarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii cuſtos, de omnibus negotiis eccleſiaſticis vel miniſtris Eccleſiae, & Comes Palatii de omnibus ſecularibus cauſis vel iudiciis ſuſcipiendi curam inſtanter habebant; ut nec eccleſiaſtici, nec ſeculares, prius Domnum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent, quonſque illi præviderent, ſi neceſſitas eſſet, ut cauſa ante Regem merito venire deberet.* Deinde ſummi Capellani munus in iis verſari docet quæ pertinent ad officia eccleſiaſtica & cetera ſpiritualia in Palatio procuranda. Sed omitti non debent quæ de iudiciis eccleſiaſticis ſcribit: *Apocriſtarius quidem de omni eccleſiaſtica religione, vel ordine, nec non etiam canonica vel monaſtica altercatione, ſeu quacumque palatium adhibant pro eccleſiaſticis neceſſitatibus, ſollicitudinem haberet, & ea tantummodo de externis Regem adirent qua ſine illo plenius deſiniri non poſuiſſent.* Quemadmodum Apocriſtarij & Comitum Palatii munera hîc inter ſe comparantur, ita exiſtimo eandem illos iudiciorum reddendorum rationem tenuiſſe. Quare ut ex formula iudicij redditi ab Andeboldo Comite Palatii conſtat ipſum vice Regis adſidentibus ſibi Epifcopis & proceribus in palatio jus dixiſſe, & ejuſ ſententias nomine regio inſcriptas, ita etiam ſummus Capellanus vice Regis in conſeſſu Epifcoporum & procerum jus dicebat, niſi cauſa gravitas exigeret Regis præſentiam, ut monuit Hincmarus. Extat ejuſ auctoritatis exemplum in epiſtola Eccleſiae Senonicae ad Hilduinum Archicapellanum; quæ non

Hincmar. ep. 14. c. 10.

Ibid. c. 10.

V. C. Hincmarus Novis ad Hincmarum ſum. c. 1. 1. 1. 1.

Vide ibid. c. 10. §. 6.

Epiſtola Hincmarus Senon. in Formid. an. 1010. p. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

solùm referuntur illi gratia quòd secundam electionem huic Ecclesie impetrasset à Principe, quod ad Hilduini gratiam pertinebat, sed etiam quòd eam concessisset, quæ verba ad munus Archicapellani trahi debent. Etenim omnes quæstiones canonicas, quæ ad Palatium deferebantur, Archicapellanus discutebat & iudicabat. Quare cum persona secundâ vice à Senonensibus electa, Missis Dominicis accepta non fuisset, negotium ad Hilduinum relatum est, à quo Senonenses contendunt ut tamdiu iudicium differat, donec ipsis presentibus electum iudicio suo probet aut repellat. Non immeritò itaque in epistolæ inscriptione Hilduinum *sacris negotiis à Deo prælatus* dicunt. Præter eam auctoritatem, quæ propria erat Archicapellani, omnibus Consultationibus quæ de re publica aut privata in palatio à Consiliariis (qui partim Clerici erant, & partim laici) haberentur, Capellanus semper intererat, ut docet Hincmarus.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

DE dignitate Archicapellani, præter ea quæ hec edidit illustrissimus Archiepiscopus, occasio postulat ut & nos nonnulla dicamus, cum in nos susceperimus curam illustrandi hos libros pro nostra virili. Erat itaque tanta dignitas Archicapellani, ut quemcumque tandem locum ille in Ecclesia haberet, principem tamen ubique obtineret super Archiepiscopos & Episcopos, etiam in synodis. Ebroinum enim Picaviensem Episcopum, qui fuit Archicapellanus in palatio Caroli Calvi, Concilio Vernensi, cui præter ceteros intererat Vvenilo Senonum Archiepiscopus, præfuit anno DCCCXLIV. ut patet ex præfatione illius synodi. Quin & Grimoldus Abbas sancti Galli Salomoni & Theodorico Episcopis præponitur in actis de indulgentia Ludovici Regis Germaniæ, non aliam ob causam, ut rectè observat Sirmondus, quam quòd idem Regis summus erat Capellanus. Sic in imperio Constantinopolitano Cartophilax Constantinopolitanus, tamen si Diaconus tantum esset, ante Antistites seu Pontifices ubique sedebat præterquam in synodis; ut docet Theodorus Balsamo ad canonem XVI. Nicænum & ad canonem VII. synodi in Trullo. Ceterum ex epistola XCVI. Lupi Ferrariensis jam olim collegimus munus Archicapellani non fuisse perpetuum, sicque tribui solitum à Principe, ut ei cui datum erat adimi posset pro illius arbitrio. Ea enim de causa Hilduinum Abbatem monet Lupus, ut quia scire non potest quam diuturna futura sit hæc administratio, tempore bene utatur, iustumque se in iudiciis reddendis exhibeat.

IV. Quam verò acceptum esset Summis Pontificibus munus summi Capellani, ex eo colligere licet, quòd Episcopis qui huic

officio à Principibus admovebantur gratiam canonum facerent, ut abesse ab Ecclesiis suis & assidue in palatio versari possent. Id testatum fecit Carolus Magnus in Concilio Francofordiensi, cujus assensum etiam petivit, ut pontificia, regia, & synodalia auctoritate à pœnis canonum in desertores Ecclesiarum suarum latis liber esset Hildeboldus Episcopus, cui summi Capellani munus commiserat. Hæc sunt verba Concilij: *Dixit etiam Dominus Rex in eadem synodo se à se de apostolica, id est, ab Adriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eandem synodum ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilramno, apostolicam licentiam habeat. Omnis synodus consensit, & placuit eis eum in palatio esse debere propter utilitates ecclesiasticas.* Præfectus iste Capellæ regie, Apocriarius dicitur, exemplo Responsalium qui morabantur in urbe Constantinopolitana, à Romana sede aut à ceteris Patriarchis missi, ut rebus ecclesiasticis prospicerent, quamvis magnum intercederet discrimen inter eorum munera, cum regius Capellanus in Gallia jus diceret, ceteri verò negotiis præcipue procurandis in urbe regia vacarent, ut dicam alibi. Attamen Archicapellani auctoritas paulatim defuit, & cum munere Comitis Palatii confusa est, ut colligere licet ex epistola synodi apud Carisiacum, quæ petit à Ludovico ut hoc munus in palatio suo restituar. Is est enim sensus horum verborum: *Si Episcopus, inquit, pro quacunque necessitate ecclesiastica ad vos direxerit, ad quem suus Missus veniat, per quem quæ rationabiliter petierit obtineat, in palatio vestro, sicut Comes Palatii est in causis reipublice, ministerio congruum constitutum habete.* Post ista tempora fit aliqua mentio Archicapellanos, sed qui non erant in illo gradu auctoritatis constituti.

V. Sed ut optima instituta in deterius ruere solent, accidit ut paulatim, Metropolitanis inconsultis, & contempto synodorum examine, damnati Presbyteri rectà è palatio subsidium peterent. quod tunc alienum omnino erat à disciplina canonica. Sane huic præmaturæ Clericorum interpellationi occasionem præbuerat interruptus synodorum provincialium usus, quæ quotannis non cogeantur. Quam disciplinam restituendam ab Imperatore Ludovico poposcit Concilium Parisiense habitum anno octingentesimo vigesimo nono: *Quoniam si hæc Concilia semel in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor ecclesi-*

E e ij

Concil. Gall. Proferretur vestra parati vestigia...

Conc. Francof. 4. 55.

Hildeboldus Episc. Colon. apud Alcuin. epist. 85. can. 208.

De Apocriariis & Responsalibus vide lib. 1. cap. 16. & seq.

Syn. apud Carisiacum cap. 7. nu. 82.

Concil. Paris. pag. 1. c. 26.

ce. be. cit. to. re. n. to. re. inf. rio. ste. al. n. m. as. t. p. i. ui. ut. e. os. m. i. el. 14. c. 31. is. ii. di. ec. m. ve. z. ni. e. a. t. s. i. lhen. r. a. e. t. i. j. v. C. Dignitas. Noto ad. f. c. 13. L. 1. vide lib. 1. c. 4. Epistola. Senon. in. v. n. n. c. 1. c. 1. ad. eadem. Dal.

sticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorundam superborum Clericorum, quæ passim auctoritate canonica calcata auribus imperialibus molestiam ingerit, cessabit, & impunitas diversorum flagitiorum, quæ locum delitescendi nunc habet, non habebit, & alia multa quæ hactenus secus quam ecclesiastica disciplina docet incessant, ordinem suum Domino auxiliante servabunt. Sanè canones sprete erant, eò quòd synodo provinciæ non aditæ, contra præscriptum Concilij Francofordiensis & Antiocheni, Clerici ab Episcopo damnati Regem adibant. Ceterum post aditam synodum provinciæ, liberum erat cum literis Metropolitanis ad Principem accedere.

VI. Non est autem existimandum solis Presbyterorum, Canonicorum, & monachorum judiciis vacasse summum Capellanum & Regis Consistorium. Etenim canonum executionem & Capitularium constitutionum ab Episcopis Princeps exigere solebat, delegatis per provincias viris consultissimis, qui *Missi Domini* vocabantur, quorum auctoritate, aut quæ per negligentiam peccata erant in canones, corrigebantur, aut si majorem operam desiderarent, ad Regem referebantur. Cùm enim Princeps, etsi canonum executor non esset, attamen exactor esse deberet, suam auctoritatem unà cum episcopali adungebat, ut conjunctis studiis, & communi opera, paterni canones servarentur. Qua de re seriò monuit Episcopus Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, quo certa quædam Capitularia è canonibus petita servanda præscripsit Episcopis: *Vt magne devotionis studio hortarentur & compellerent greges sibi creditos ut firma fide & infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio, inquit, sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex vestri nominis auctoritate unà vobiscum corrigerent quæ corrigenda essent. Sanè munus Missorum eò se porrigebat, ut discimus ex Capitulari Ludovici Pij, ut si forte Episcopus aut Comes aliquid negligentius in suo ministerio egerit, per istorum admonitionem corrigatur.*

VII. Si auctoritatis istius rationem investigemus, ea erit in promptu è Iustiniano, qui canonum custodiam Principibus commissam docuit. Eandem tamen sententiam illustriùs & pro sua dignitate magnificentius expresserunt Reges nostri, quæ paucis explicanda sunt, ne quis in Capitularium lectione impingat. Docet Ludovicus Pius in Admonitione generali ad utriusque ordinis homines, id est, Episcopos & Comites, Reges à Deo constitutos, ut Ecclesiæ & Regni

curam gerant; summam autem ministerij hujus ita in persona Regum consistere, ut divina auctoritate & humana ordinatione per partes divisum sit, Episcopis nempe & Comitibus, & unusquisque in suo loco & ordine partem ministerij regij habeat. *Vnde apparet, inquit Ludovicus, quòd ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique vestrum in sibi commissâ portione conveniat: & ideo prætermittere non possumus quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.* Statim verò monet Episcopos ut in ministerio suo accuratè versentur, & subjungit, *ut quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerij nobis commissi existatis, ut in judicio non cõdemnari pro nostra & vestra negligentia sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur.* Deinde Comites admonet ut vicissim partem ministerij sibi commissi fideliter peragant; hoc inter Episcopos & Comites discrimine constituto, quòd illis à divino numine commissâ sit ministerij sui cura, Comitibus verò ex regio mandato, ut docuit capite tertio. Eo enim sensu explicanda sunt illius capitis verba, *divina auctoritate & humana ordinatione, ut supra indicavi. Quare mirum nemini esse debet, si adeo diligenter rebus ecclesiasticis se Reges Francorum impenderent, cùm eas ad ministerium suum pertinere existimarent; scilicet ut admonitores se præstarent, quò Episcopi ministerium suum juxta canones peragerent, & in eo capite ministerij regij adjutores essent. Monitionis autem ea vis erat, ut effectus verba sequeretur, & poena in contumaces; quemadmodum videre est tum alibi, tum in hoc Capitulari, quo ministerij sui Comites commonentur, perinde ac Episcopi.*

VIII. Missi autem Domini summæ dignitatis & prudentiæ viri, ex utroque ordine à Principe delecti, diligenter inquirebant quid Episcopi, Abbates, Comites, & Abbatissæ per singulos pagos agerent, & undecunque necesse fuisset, tam regias, quam Ecclesiarum Dei justitias, viduarum quoque, & orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirerent & perscriverent, ut loquitur Flodoardus. Quæ ad Missorum legationem pertinerent, passim in libris Capitularium occurrunt: qui à *Missis discurrantibus* distinguendi sunt, quorum munus erat mandata Principis deferre per provincias. Missorum Dominicorum usus (qui unà cum Episcopis canonum executioni in parocciis & monasteriis invigilabant, aut Regem de contemptu monebant, ut ipse corrigeret perperam gesta) litibus illis obviam ibat quæ hodie de canonum & au-

Capitulari Aquisgranensi an. 759.

Capitulari Lud. c. as. an. 823.

Capit. l. 2. c. 2. edicto Capitulari. Sed quantum complicitate in providentia nostram medietatem ad

loc. capitulari in fuit a. in v. h. de Regibus curam gregum.

Capitulari Lud. c. 1. c. 2. c. 3. Sed quomodo summe hanc ministerij in ministerio vestro, & divina ordinatione, ut per partes ministerij sibi commissi fideliter peragant, hoc inter Episcopos & Comites discrimine constituto, quòd illis à divino numine commissâ sit ministerij sui cura, Comitibus verò ex regio mandato, ut docuit capite tertio. Eo enim sensu explicanda sunt illius capitis verba, divina auctoritate & humana ordinatione, ut supra indicavi. Quare mirum nemini esse debet, si adeo diligenter rebus ecclesiasticis se Reges Francorum impenderent, cùm eas ad ministerium suum pertinere existimarent; scilicet ut admonitores se præstarent, quò Episcopi ministerium suum juxta canones peragerent, & in eo capite ministerij regij adjutores essent. Monitionis autem ea vis erat, ut effectus verba sequeretur, & poena in contumaces; quemadmodum videre est tum alibi, tum in hoc Capitulari, quo ministerij sui Comites commonentur, perinde ac Episcopi.

c. 4. c. 6.

Flodoard. Hb. Rem. l. 2. c. 11. P. de Hæreticis in an. 1. L. 1. c. 1. v. 1. p. 11. c. 1. 491.

Capit. l. 2. c. 2. c. 3. c. 4. c. 5. c. 6. c. 7. c. 8. c. 9. c. 10. c. 11. c. 12. c. 13. c. 14. c. 15. c. 16. c. 17. c. 18. c. 19. c. 20. c. 21. c. 22. c. 23. c. 24. c. 25. c. 26. c. 27. c. 28. c. 29. c. 30. c. 31. c. 32. c. 33. c. 34. c. 35. c. 36. c. 37. c. 38. c. 39. c. 40. c. 41. c. 42. c. 43. c. 44. c. 45. c. 46. c. 47. c. 48. c. 49. c. 50. c. 51. c. 52. c. 53. c. 54. c. 55. c. 56. c. 57. c. 58. c. 59. c. 60. c. 61. c. 62. c. 63. c. 64. c. 65. c. 66. c. 67. c. 68. c. 69. c. 70. c. 71. c. 72. c. 73. c. 74. c. 75. c. 76. c. 77. c. 78. c. 79. c. 80. c. 81. c. 82. c. 83. c. 84. c. 85. c. 86. c. 87. c. 88. c. 89. c. 90. c. 91. c. 92. c. 93. c. 94. c. 95. c. 96. c. 97. c. 98. c. 99. c. 100.

Cont. Sept. c. 1. & Capitula in ord. dem synodi p. p. 11. c. 1. 491.

toritatis abusu instituuntur. Ceterum Principis auctoritatem ad exigendam à Clero & plebe canonum observantiam æquè commendat, eo solo discrimine inter utrumque agendi modum, quòd prior sollicitiorem curam & magis assiduam requirat, & vulnus impediatur; hic negligentius se gerat, reclamantem aliquem expectet, atque post vulnus remedium parat.

IX. His temporibus etiam Presbyteros regum auxilium adversus Episcopos implorasse patet ex Capitulari Caroli Calvi Tolosæ dato anno DCCCXLIV. quo vexationibus illis, quibus Presbyteri Septimaniæ ab Episcopis suis premebantur, egregiè prospicit; modum qui in visitandis paræciis ab eis tenendus sit, & sumptuum quantitatem præscribit. Imò verò prohibet Episcopis ne Presbyterorum rusticanas paræcias lucri inhonesti causa dividant; sed si populi necessitas id exegerit, consilio canonico eam divisionem peragant. Ceterum capituli octavi verba expendenda sunt, quæ regis potestatis vigorem in rebus ecclesiasticis ostendunt: *Vt Episcopi sub occasione, quasi auctoritatem habeant canonum, his constitutis excellentiæ nostræ nequaquam resultent, aut negligant; sed canones potius ut intelligendi sunt intelligere & in cunctis observare procurent. Quia si aliter fecerint, omnimodis & qualiter canones fidelium decimis agendum statuunt, & qualiter intelligi & observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, synodali dyjudicatione & nostrâ auctoritate regia docebuntur.* Videtur nescio quam decimarum interversionem Episcopis comminari, si à canonibus & regis decretis desistant. Qui locus, ut existimo, in eam rem est singularis, ut cum Magistris nostris loquar.

C A P V T VIII.

Synopsis.

I. Sub tertia dynastia Regibus, antiquorum canonum desiderium urgebat, ut patet ex Concilio apud Ansam, in quo definitum est illud privilegium non esse ratum quod canonicis non solum non concordaret sed etiam contraret sententiis. Patet etiam de Glabro; qui recitat offensionem Gallicanorum Episcoporum, quòd invito Turonensi Episcopo, ad preces Fulconis Comitis Basilica consecrata fuisset à Legato, jussu Romani Pontificis, contra canones.

II. Glaber de Joanne Antipapa non est intelligendus, sed de Joanne XVIII.

III. Explicatur verba illa Glabri, Papam & Fulconem schisma creavisse. Schisma, est secessio à communione Ecclesie, ob quæstiones de disciplina, Hæresis, ob quæstiones de fide, à Basilio, Schisma desinit in hæresim; non solum quòd schismati sæpe hæresis adiungitur; sed etiam quòd ipsum schisma, si inveteratum sit, in hæresim vertitur.

IV. Id docetur à canone v. r. Concilij CP. Qui explicatur, & conciliatur cum canone Basiliensi, rejecta conciliatione Balsamonis. Basilius agit de schismate nondum desperato. Canon v. r. de perinaci & ab Ecclesia condemnato. Emendatus canon v. r. à Nicolao Novatianis & Quartadecimani damnati ut heretici, & plures alij, ob quæstiones discipline, quia Ecclesiam contemnebant, cuius auctoritas in Scripturis commendatur.

V. Qui sint canonici Episcopi in dicto canone sexto. Corrigendus locus, & rescribendum variorum. Emendatus etiam obiter locus Concilij Chalcedonensis. *Canonici sunt Episcopi ejusdem communionis, Latini Communicatores. Confirmatur hæc emendatio è versione canonis quæ exiit in epistola Nicolai I.*

VI. Ex ijs quæ dicta sunt illustratur locus Glabri qui schisma vocat dissidium Pape & Episcoporum in causa canonica. Schisma ea significatione usurpatum à Benedicto IX. à Synodo Anglicana, Hincmaro, & Ivone.

VII. Quomodo se gerent Gallicani Episcopi in retinendis canonibus adversus nova rescripta. Id ostenditur ex privilegio concesso à Paschali II. Henrico Imperatori. Concilium Viennense damnat privilegium; & minatur secessionem, ni Paschalis illud revocet. Galli modestius se gerunt. Perseverandum in obedientia Papa docent, & parendum ijs quæ pertinent ad Cathedram, cetera non admittenda.

VIII. Ivo negat de Pontifice iudicium suscipiendum, nisi à fide aberraret. Si quid tamen ab eo decernatur incommodum Ecclesie Gallicane, synodos cujusque provincia id correderat, salva reverentia Ecclesie Romana.

I. P O S T annum millesimum, sub tertia Regum nostrorum dynastia, non deferuit apud Gallos servandorum canonum desiderium, quo decessores flagrant: nec cessavit usus ille antiquus ab avis usurpatus, quo aut Ecclesia synodica deliberatione sibi prospiciebat, cum rebus per obreptionem decretis Romæ assentiri non possent; aut regio patrocinio se committebat, ut executionem impediret.

Synodici decreti ejusce generis illustre exemplum peti potest ex Concilio apud urbem Ansam, in diocesi Lugdunensi sitam, ab Episcopis trium provinciarum, Lugdunensis scilicet, Viennensis, & Tarantasiensis, habito anno M. XXV. cujus verba referam ex Tabulario Ecclesie Matifconensis, unde etiam illa hausit Iacobus Severinus, eaque edidit in Chronologia Archiepiscoporum Lugdunensium Num. LXVII. Ex quibus discet lector quam constanter se gerent illius ætatis Episcopi ad retinenda jura sua canonibus Conciliorum generalium munita adversus gratiosas monasteriorum exemptiones rescriptis Romanorum Pontificum concessas. Anno M. XXV. dominice incarnationis convenerunt apud Ansam in Ecclesia sancti Romani, causâ Concilij, Archiepiscopi, cum pluribus Episcopis, scilicet Burchardus Lugdunensis Archiepiscopus, alius Burchardus Archiepiscopus

E e ij

Florent. Bibl. Rem. l. 1. c. 11. P. de Balz. in an. ad Laym. 11. p. 115. 116. 117. 118. 119. 120.

Capit. l. 1. c. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Conc. Basili. c. 1. Capit. in ob. Synod. p. 115.